

IOHANNES ARTOPAEVS IVRECONSULTVS FRIBVR-
genfis.



Ioannes Vuormatiæ anno millesimo quingen-
tesimo uicesimo natus, & in omni genere litera-
rum optimè institutus est. Cum uero prima artium
fundamenta in literis fœliciter iecisset, sese Fribur-
gum Brisgaudiæ contulit atq; philosophiæ diligen-
tem operam nauauit. accedebat etiam uitæ integri-
tas, & morum innocentia. Itaque Mathias Heldus
Cesaris Caroli Vicecancellarius hunc suorum filio-
rum Pædagogū constituit, atq; eos in omni genere
disciplinarum & uirtutum educare iussit. In eo uitæ
statu cum Ioannes aliquandiu permansisset, postea
Iurisprudentiæ incubuit, atq; adeò in ea facultate
profecit, ut omnium cōsensu Legum Doctor crea-
retur. Postea quoque ob eruditionem in numerum professorum cooptatus,
Ius Canonicum publicè in ea Academia enarravit, & omnibus doctis passim
innotuit. Scripsit is duo colloquia, alterum sensus & rationis, alterum adu-
lationis & paupertatis, quibus uiua humanæ uitæ imago exprimitur. præte-
rea de arbore scientiæ ac eruditionis orationem eruditam, atque Mineruæ
Apotheosin, cum alijs huiusmodi. Hinc factum ut ob doctrinam &
pietatem omnibus gratus etiamnum in eo loco agnoscatur.
Anonym.